

PETRI BEMBI AD HERCVLEM
STROTIVM DE VIRGILII
CVLICE ET TERENTII
FABVLIS LIBER.

V M superiore anno Romæ ego et noster
c *Quirinus* essemus eo tempore ; cum ille magno
hominum concursu , magna admiratione ciuita-
tis, quatuor millibus ac quingentis illis a se in philosophia
propositis sententijs omnium omnis disciplinæ philosopho-
rum impetus pene puer summa cum gloria sustinuit ;
erant Stroti nobiscum sæpe cum alij docti uiri , quibus
semper floruit illa urbs, non sane pauci ; tum uel impri-
mis Phædrus Volaterranus homo et ingenio et doctrina
prope singulari, et qui ea tempestate fere omnium Ro-
manorum eloquentissimus habebatur ; uidebaturq; miri-
fice uel dicendo uel scribendo ueterem illam Romanam
grauitatem simplicitatemq; redolere . Fuerat is quidem
multo antea Hermolai Barbari usus familiaritate ; dum
ille apud Innocentium Pont. Max. a nostra Rep. Romam
missus Legati munere fungeretur, posteaq; ab eo in sa-
cerdotium adscitus legatione renuntiata in urbe reman-
sisset ; ad quem (ut ipse aiebat) a Pomponio Lato , cuius
erat ipse tunc sectator , sæpissime deducebatur ; magnam
enim inter illos uiros beniuolentiam conflauerat artium
studiorumq; similitudo . Nam in litteris quidem (ut scis)
alteri eorum Romani homines, alteri nostri primas partes

te magistrum habeat : cuius de pleno fonte cum hæc , tum
longe meliora haurire quotidie possit . Sed quoniam iam
ad uesperas cit ; uel hora ipsa , uel tua ætas me admonet , ne
te hic diutius detineam . Quæ cum essent dicta , sine lo-
quendi factò illi domum abierunt : Hermolaus in cubicu-
lum se recepit .

Venetijs, Per Io. Ant. eiusq; fratres Sabios.
Ann. M. D. XXX.

Hunc librum non imprimat, non uenalem habeat quis, cui non
is permiserit, quo inuito nemini licere ex Pont. Max. ex
Senat. Venet. cæterorumq; Italiæ Principum decretis
multa a proposita cautum est.

